

De  
Vi rationis psychologicae ad singulas tractandas linguas exemplo  
illustrata.

---

**S**i quis inde ab Alexandrinorum temporibus ad nostram usque aetatem universam Grammaticorum seriem perlustrare velit, facile inveniet, linguarum studium ab ipsis vel ad usum accomodatam vel ad causas relatum fuisse, non semper habita ratione utriusque viae et provinciae justis circumscribendae limitibus. Hinc ortum est triplex artis grammaticae genus. Primum populare, a Graecorum rhetorica profectum, a Romanis acceptum, ad loquendi scribendique usum spectans adhuc ubique originis suae vestigia exhibet, non semper illa quidem, ut fere omnium scientiarum primordiis fieri solet, rectam sequentia rationem. Alterum pragmaticum idque subtilissimum pariter et doctissimum, ab omnibus melioris notae philologis, a Graecis imprimis, delibatum, a Francisco Sanctio in latino, a Tiberio Hemsterhusio in graeco sermone et idiomate egregie excultum, in singularum indolem linguarum earumque causas et origines indagat. Tertium denique, nostris inventum temporibus, universalis et philosophici nomine jam insignitum et undique celebratum, de communi omnium linguarum natura disputat et singularum rite tractandarum viam aperit recteque earum tradendarum normam constituit.

Jam vero Grammatica philosophica seu universalis, quoad ejus observare et animadvertere potui, recte quidem omnia petit ex Logices principiis, scilicet enuntiationis forma, partibus et modis. Sed cum duplex sit ejus officium et munus, alterum linguarum, quae talium, communem explicandi naturam, alterum aperiendi viam singularum sive causae sive usus respectu recte tractandarum; aliquod idque haud exigui momenti ab illa disciplina praetermissum aut neglectum saltem et non satis pro rei dignitate expensum mihi esse videtur. Neque enim unquam lingua certa aeque ac singuli hominesque populi propria natura carent et carere possunt, quam eorum indolem et genium vocamus, quoque cognito atque perspecto maxime gaudere solemus. Cujus vero rei natura a philosophis neglecta aut praetermissa, et pragmatici magnam colligent exceptionum et idiotismorum farraginem ellipsis ficticiis aliisque machinis misere torquendam, et populares elegantiarum turbam nobis praeconum instar festive declamabunt, ut frustra allabores, lucem iis ex grammatica tua philosophica affundere, nisi aut assidua lectione obscurum ejus rei sensum assequaris, aut aliud adhuc adhibeas adminiculum ad clarius omnia perspicienda. Quodnam igitur et quale

illud sit demonstrare atque exemplo e medio petito illustrare, hujus est disputationis finis atque consilium. Itaque hoc anno quum mihi mandaretur, ut ea ratione, qua in eum libellum, qui fine anni de rebus scholasticis editur, fieri solet, in modum exordii aliquid scriberem, neque aliud quidquam haberem paratum, quod chartae modulus caperet, in mentem venit, prolusionem huic programmati destinare hanc rem eamque, quamvis prius tractari scribique coeptam atque probatam, latino sermone, qui collegarum ordine requiri videbatur, hac occasione oblata persequi. Pauca dedi, sed fortasse ad consilium meum mihi propositum jam satis multa; quae ut benevole accipiantur, rogo atque oro.

Duo sunt actionum humanarum principia, quibus a reliquis animantibus homo potissimum discriminatur: ratio, quae mentis conceptus format, et oratio, quae eosdem tanquam rationis ministra et instrumentum aliis manifestat. Unde sermo est rationis flumen, quia a rationis conceptu fluit oratio, ratione quasi stillante in linguam, ut ea plectri instar aëra diverberans voces efformet conceptuum, qui a ratione fiunt, significativas; et tam arcta est inter eas connexio, ut utraque una eademque voce Graeci exprimant per *λόγον*. Est enim sermo quasi animae immortalis vehiculum, quod mentis arcana ex imo pectore pandit et orationis suadela in aliorum mentes influit. Lingua ad mentis humanae rationem efficta est atque formata; altera igitur alterius fons est et adjutrix. Jam vero mentis humanae natura maxime in cogitando versatur et cernitur, cujus rei leges et principia, ut ipsa ratio, semper et ubique sibi constant. Lingua igitur, qua talis, ad Logicam, linguae vero indoles seu proprietas ad Psychologiam revocanda est. Cujus rei rationem demonstrare nunc non est nostrae brevitatis eamque in alteram scribendi opportunitatem differamus. Liceat tantum hic exemplo illustrare, quid valeat ratio psychologica ad singulas tractandas linguas.

Exemplum petamus ex lingua omnibus, quoad grammaticam rationem, notissima, latina nimirum, et incipiamus, qua Grammatici nostri desinere solent, syntaxi illa, ut vulgo fertur, ornata. Hoc scilicet elegantiarum armario illi congerunt omnia, quae neque ad Logices capita de convenientia et ratione grammatica referre possunt, neque ad sanam rationem revocare student. Sed cum vocabulorum series et orationis universae habitus respondeat notionum ordini et cogitandi rationi, ab hac re, in qua praecipue linguae indoles versatur, ducendum erit initium, tunc ad singulas pergendum voces.

Latini sermonis indoles cernitur in studio augendi intentionem audientium et brevi multa complectendi, ne justo diutius aures suspensae lassentur. Hinc vocabulorum ordo, a recentiori maximam partem alienus eiq̄ econtrarius; hinc quatuor illae nervosae brevitatis formae notabiliores: 1. constructiones, quas vocant participiales; 2. ablativi absoluti sive consequentiae; 3. accusativus cum infinitivo; 4. constructiones, quas vocant relativas.

Ordinis vocabulorum causa est gentis universae indoles illa, a mira rerum gerendarum cupidine profecta, et in orationis habitu veluti typo quodam recusa atque expressa. Unde factum est, ut in enarrando oratio procedat a casibus obliquis ad rectos, a praedicatis ad

subjecta, ab epithetis poetarum ornantibus ad substantiva saepius usque ad versus calcem remota adeoque cumulatim posita, a relativis ad demonstrativa, a rectis ad regentia vocabula, et generatim a minus definitis sed definiendis ad magis magisque definita cum verbum sententias integras, ita ut non dissimile sit periodorum initium aenigmati, quod ad finem solvitur atque expeditur. Itaque mirum illud rerum gerendarum studium exprimitur et quasi adumbratur mira animi suspensione in enarrando, quae animadversionis intentionem usque ad finem protractam tenet et auget; exempli gratia: „Regis ad exemplum totus componitur orbis“; — „Qui amicitiam e vita tollunt, qua a Diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius, solem e mundo tollere videntur“, Cic. de amicitia 13; — Purpurea velatus veste sedebat in solio Phoebus, claris lucente smaragdis“, Ovid. Met. II., 23; — Quae pater ut summa vidit Saturnius arce, ingemit, et, facto nondum vulgata recenti, foeda Lycaoniae referens convivium mensae, ingentes animo et dignas Jove concipit iras“, Ovid. Met. I., 163. seq., et sic in omnibus fere poetarum paginis.

Quamquam vero psychologicus ille logico vocabulorum ordini omnino subordinari solet, ut vel pueri nostri semper fere a dextra ad sinistram construere vocabula a Grammaticis cogantur, sibi que omnia vice versa facere videantur, tacite suspicantes, Romanos omnia perverse dixisse; tamen et hic nostris frigidioris coeli linguis proprius et logicus ordo in quieto orationis habitu non plane negligitur. Sed in omnibus hisce summa cernitur populi libertas aut arbitrium potius, vel in lingua sua artes, ut ipse Virgilius ait, exercentis proprias: „Regere imperio populos“, nec ulli modo certaeque mensurae se adstringentis. Hinc inversionum varietas et copia omnium, quod sciam, linguarum latissime patens, quam sensu quidem et auribus percipere jucundum, nostro vero idiomate exprimere adeo difficile est, ut ne Vossii quidem, poetae celeberrimi, volubiles alae aquilam assequi possint Romanum, liberrimam scilicet pariter ac suavissimam et summam inversionum illarum varietatem. Quo vocabula collocandi arbitrio variante robur populi semper sibi constat. Semper enim vivida et vegeta cernitur extrema jungendi libido, quo magis et diversa illucescant et similia sociantur et praecipua in sententiae capite conspicua promineant, et aliena verba aliaque gravioris momenti citius irrumpant, minoris vero serius et graviori quadam negligentia insequantur, quam par est, secundum severam et quietam Logices rationem, quae in recentioribus frigidioris coeli linguis praevalere videtur.

Causa quatuor illarum brevitatis formarum derivanda est a studio omnia celeriter complectendi et cogitandi arbitrio tacite relinquendi minutissima quaecunque, ne justo diutius mens intenta auditoris suspensi delassetur. Quod item praeclare innuit Horatius dicens alibi Satyr. 1, 10, 9:

„Est brevitatem opus, ut currat sententia, neu se  
Impediat verbis lassas onerantibus aures.“

Qua in re cernitur latinitatis robur, itidem a rerum gerendarum studio profectum et aptissimum ad monumentorum stylum, quem lapidarem vocant, unde apparet mire ubique populi indolem sibi constituisse in lingua ubique aperta relinquentem vestigia. Sunt autem formulae istae, jam supra nominatae, sequentes: Primo constructiones, quas vocant participiales, quae nihil aliud esse videntur nisi compendium plurium enuntiationum coordinatarum.

Copulis enim ab enarrandi celeritate extinctis et vago cogitandi arbitrio relictis, praedicata adeo coalescunt subjecto, ut ejus naturam participant, i. e. ut e verbis fiant participia in unius subjecti unam sententiam arctissime coordinata atque coacta. Hoc est ore rotundo loqui, cujus virtutis facilitatem a musis magis adhuc Graecis, quam Romanis datam esse jam veteres observarunt et Graecos *φιλομετόχους* inde appellarunt. Cujus rei exempla frequentissima exstant, e. gr. in Plutarchi Timoleone, c. 3. init.: „*Τῶν τῶν Ἰκέτου πρεσβέων παραγενομένων, οἱ Κορίνθιοι κήδεσθαι μὲν αἰεὶ τῶν ἀποικίδων πόλεων καὶ μάλιστα τῆς Συρακουσίων εἰωθότες, οὐδενος δὲ αὐτοῖς τότε τῶν Ἑλληνικῶν κατὰ τυχήν, παρενοχλοῦντος, ἀλλ' ἐν εἰρήνῃ διάγοντες ἐψηφίσαντο προθύμως βοηθεῖν.*“ — *Οἱ Κορίνθιοι — εἰωθότες* (quae est prima enuntiatio) — *διάγοντες* (quae est secunda) — *ἐψηφίσαντο* (quae est tertia et una, in quam antecedentes coaluerunt, copulis libero cogitandi arbitrio relictis et per alias explicite compensatis.

Secundo ablativi consequentiae sive absoluti, qui concisorem adhuc suppeditant brevitatē, ne noti quidem sunt recentioribus linguis. Sanctius (Minerva, sive de causis linguae latinae et graecae) quidem negat eos esse absolutos, et Grammaticos in iis explicandis valde alucinatos esse asserit, sed illis dandam esse veniam; hoc enim altioris esse considerationis, quam quo possit ingenium Grammaticorum adscendere. Quod equidem non putaverim, si res tam facilis et expedita videtur, ut ellipsis praepositionum „sub, a, cum et in“ omnino explicari possit; exempli gratia: „Sole sub ardenti = sole ardenti, resonant arbusta cicadis“. Virg. Eclog. II., 13. — „Ab re bene gesta = re bene gesta, insolenter laetum exercitum tironum etc.“ Liv. XXIII., 36. — „Sequere hanc, mea gnata, cum diis volentibus = diis volentibus.“ Plaut.

Sed explicatio haec admodum popularis et quandoquidem veterum exemplis nititur haud contemnenda accuratam et subtiliorem rei demonstrationem non irritam facit neque alucinantem. Est nimirum et hujus constructionis vis et potestas contractio quaedam duarum plurimumve enuntiationum in unam.

Neglectis et tacito cogitandi arbitrio relictis copulis, subjectum alterius alteri enuntiationi subordinatum cum praedicato suo coalitum necessario construitur ablativo, utpote objecti remotioris casu, temporis, loci, causae, conditionis, instrumenti aliorumque praedicamentorum, excepto τῷ Quis et Quid, rationem exprimente. Redeunt huc multa grammatica exempla. Idem exemplum jam semel usurpatum vel hic usurpari liceat geometrico more, tanquam purae propositionis schema: *Οἱ Κορίνθιοι — τῶν πρεσβέων παραγενομένων* (quae est prima) — *οὐδενος δὲ παρενοχλοῦντος* (quae est altera enuntiatio subordinata) — *ἐψηφίσαντο*. Scilicet et hoc sermonis compendium Graecis cum Latinis commune et omnibus fere casibus obtinuit inter illos vel in hac ore rotundo loquendi facilitate omnium maxime excellentes.

Tertio accusativus cum infinitivo. Est et hujus constructionis ratio duarum enuntiationum in unam contractio quaedam et coalitio. Si nimirum sententia altera alterius objectum est directum, etiam ejus substantivum casu objecti proximi, i. e. accusativo ponitur, verboque infinito, quod et ipsum nominis naturam participat, brevitatis causa opponitur, ita ut duo nomina objectiva in unum videantur coaluisse objectum commune. Ad hanc simplicem rei explicationem variae redeunt regulae grammaticae.

Quarto relativorum frequentior usus, subintellectis demonstrativis et omissis enuntiationum copulis. Ita sententiae integrae arctius cohaerent et celeriori aure aut intuitu percipi possunt, quod opus est, ne, ab infinito ad finitum procedente ideoque suspensa oratione, audientium aures nimium intentae justo diutius lassentur. V. c. ut supra: „Qui amicitiam e vita tollunt, qua a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius, solem e mundo tollere videntur.“ Cic. — „Nunquam satis laudari digne philosophia poterit, cui qui (cum ille, qui ei) pareat omne tempus aetatis sine molestia possit vivere.“ Id. — In oratione graeca relativa cum subjectis, contra omnem quidem logices rationem, etiam in casu, quod aliter fit in latinis, conveniunt et adeo in unam coalescunt sententiam, ut rotundius aliquid hoc genere loquendi ne fingi quidem possit. V. c. ejusmodi quod saepius occurrit: *μεταδίδως ἀντὶ τοῦ σίτου, οὐπερ αὐτὸς ἔχεις*, pro *ὄνπερ αὐτὸς ἔχεις*. — *Εὖ προσφέρεται τοῖς φίλοις, οἷς ἔχει*, pro *οὗς ἔχει*. — *Τῷ ἡγεμόνι πιστεύσομεν, ᾧ ἂν Κῦρος δῶ*, pro *ὄν ἂν Κῦρος δῶ*. — *Μεμνημένος ὧν ἐπραξε*, pro *μειννημένος τῶν πραγμάτων, ὧν ἐπραξεν* = *ἃ ἐπραξεν*. — *Οἷς ἔχω χρώμα*, pro *ἃ ἔχω, τούτοις χρώμα*. —

Exstant et multi alii latinitatis idiotismi, non illi quidem universum orationis habitum spectantes, sed singulis potius in logica convenientiae ac rectionis syntaxi passim occurrentibus regulis neque non linguarum analogiae repugnantes propriamque sequentes rationem. Attamen imprimis cavendum erit, ne in vitium incidamus istorum, qui, cum linguam ad causas revocare vellent, omnia ad logices principia aut ad ellipses, eorum vice fungentes, torquendo referrent. E. g. si explicare velis, cur „utor“ ablativo construatur et ellipsin ficticiam *τοῦ* usum „e“ adhibeas; aut si explicare velis phrasin hujusmodi: „Eo spectatum ludos“ et admoveas machinam hujusmodi: „Eo ad spectatum negotii, quod ad ludos attinet.“ Ita et nos, si, nimio explicandi studio abrepti, omnia vel minutissima quaecunque ad psychologiae rationem revocare sudaremus, facile in ineptias incideremus et hallucinaremur potius quam ratiocinaremur, rebus non explicatis, sed magis etiam, quam antea, impeditis et obfuscatis. Neque enim mirari debemus ipsum linguae genium, non claris ubique principiis, sed obscuriori semper instinctu ductum, aliquando dormitasse aut dubium errasse et suspensum haesisse in iis praesertim, in quibus ne philosopho quidem illico res fixa, facilis et expedita videatur, ut in rectione conjunctivi, temporum et casuum subjecti objectique remotioris, i. e. genitivi et ablativi, in quibus propterea rebus linguas maxime inter se discrepantes reperimus. Unde factum est, ut in dubiis quibuscunque intercederet usus tyrannus, penes quem tunc fuit arbitrium et jus et norma loquendi. Attamen vel hoc ad indolem linguae cognoscendam aliquid valet, si hujusmodi vel plura vel pauciora reperiamus vestigia atque animadvertamus, utrum hebetior et obtusior, an veritatis severioris amore praestantior et sagacior, aut euphoniae, eurythmiae et vigoris sensualis studio excellentior fuerit populi cujusdam indoles atque ingenium.

Haec hactenus sufficiant, ut exemplo e medio petito illucescat, quid valeat ratio psychologica in arte grammatica. Nam de singulis vocibus non est quod uberius dicamus, quamquam in iis quoque non minus quam in universo orationis habitu populi romani genium hinc illinc morum et indolis vestigia expressa reliquisse satis inter omnes constat. Jam illud, quod pauci ante Tiberium Hemsterhusium suspicati magis quam accuratius persecuti

erant, scilicet totam fere linguam latinam fluxisse a Graecorum dialecto aeolica, magnam affundit lucem singulis vocabulis, quoad eorum origines, radices neque non inflexionis habitum. Attamen cum sonus tum inflexionis habitus postea ad populi indolem penitus transformatus tantam assecutus est proprietatem, ut, repentino objecto viso, facile possit dubitari, an unquam lingua latina, robusta illa virago, venustae matris graecae filia fuerit aut neptis saltem. Quamquam enim jamdudum genuinus vocabulorum sonus ut ipse populus e medio sublatus evanuit, tamen adhuc in poetarum et oratorum reliquiis apparet firma syllabarum quantitas, figura vocabulorum quadrata, vocales graves et fortiter intonantes litteris consonantibus, cujus quidem rei causae ad prosodiae provinciam magis quam ad etymologiam pertinent. — Haec enim sibi vindicat varia vocabulorum genera s. partes orationis earumque mutationem et inflexionem, ubi non possum, quin obiter adhuc quaedam animadvertam. Scilicet mirum est et observatu jucundum, etiam in partibus orationis linguae genium sibi constitisse, adeo ut, repudiatis articulis aliisque superfluis, duas procreaverit proprias nominum verbalium formas, nulli, quod sciamus, alii linguae communes, pariter a rebus gerundis ac movendis profectas, — Gerundia atque Supina —. Deinde quoad nomina substantiva etiam generum a sexus similitudine profectorum, indagandae sunt causae, ubi invenies, mythologiam seu superstitionem et populi juvenilis notiones de diis et deabus, de rerum natura et originibus ect. ubicunque vel in vocabulis reliquisse vestigia, obscuriora quidem illa et temporis ferrugine obducta, sed quae saepius tamen persequi et premere adhuc liceat. Exempli gratia „sol, luna, pinus, quercus, arbor ect.“ a „Phoebo, Diana, Nympha, Dryade“ genus duxisse videntur, et jam in vocabulorum terminationibus expressum et indicatum videtur, utrum res aliqua durior an suavior, an dubia, itaque utrum masculina, an feminina, an neutra in linguae primordiis credita fuerit. — Porro de inflexione, quae pertinet ad usum grammaticum, s. de declinationis, comparisonis et conjugationis modo ac ratione, multa dicenda essent, sed longum foret et justos libelli nostri limites excederet. Hoc unum praetermittere non possum, derivationem seu deductionem casuum, temporum, modorum ect. non ad mera syllabicarum similitudinum artificia, sed ad ordinem quendam naturalem et simpliciorum esse instituendam. Quod persequi facilius videtur in latinis quam in graecis, quoniam haec lingua dialectorum jucunda varietate et dulci libertate gaudet, omnibus e contra in latinis ad unum loquendi exemplar conformatis et uni unius Romae arbitrio et uniformitati ut in agendo ita et in loquendo subditis atque obedientibus. — Praeterea de inflexione et habitu vocabulorum ad significationem pertinente, seu de motione, derivatione, figura simplici et composita, propria et metaphorica neququam est silendum ut in etymologia quacunque, ita et in latina, sed omnia ista in certa vel significationum vel inflexionum capita redigenda sunt, quibus facile illucescat, quatenus non solum fortis, quadrata et pertinax fuerit linguae indoles, sed etiam agilis et tractabilis et in rebus distinguendis vel comparandis solers, sagax et exercitata. — Tandem in doctrina de copia vocabulorum apparet latinitatis vigor popularis pariter cum egestate ad scientiarum et artium usum. Etiam si enim ad res gerendas et enarrandas abundet vocabulis et ad leges ferendas non careat variis orationis particulis admodum quadratis et aptis ad aperte distinguendum, restringendum, copulandum, ad stipulandas condiciones, ad supponendas causas, neque non ad commovendas animos et

ad omnes orationum forensium usus; tamen artium et scientiarum respectu ubique apparet aut manifesta paupertas, aut vocum mira jejunitas, laxitas, ambages et habitus vagus, incertus et inconstans, ita ut ipse Cicero plus semel fateatur, se philosophiam ne loqui quidem latine potuisse, nisi ausus fuisset, nova invenire quaedam, sed ad linguae analogiam formata vocabula. Lucretius, quamquam et ipse Romanus et Epicureus et a Peripateticorum atque Academicorum subtiliori et accuratiori disciplina longe remotus, et quamvis non diatriben, sed poema tantum scribere vellet, tamen non dissimulat, quinimo aperte testatur operis initio de rerum natura I., 137: „Grajorum obscura reperta difficile illustrare latinis versibus esse — — propter egestatem linguae et rerum novitatem.“ Ita „beati illi, ut praeclare dicit Muretus var. lectt. IV., 1., et opulenti, et omnium gentium victores Romani in petendis honoribus, et in prensandis civibus, et in exteris nationibus verbo componendis, re compilandis occupati“ ubi ubi suae vestigia indolis reliquerunt in linguae, orationis et vocabulorum habitu et conditione, ad quae vestigia cum in hac tum in aliis linguis indaganda Grammatici sagacitas, eruditio et ars, eaque praecipue ex psychologiae disciplina petita, conspicerent necesse est; quod erat illustrandum.

